


PALAESTRA LATINA



SUMMARIUM

DE RECTA LINGUAE LATINAE PRONUNTIATIONE.

De littera C. (Jové).

COMMERCIUM EPISTULARE, (Toribios-Jové).

VIRGINIS MATRIS PUERIQUE JESU LAUDES.
(Llobera).

CURSUS GYMNASIICUS, (Mir).

NOVA ET VETERA.-Exercitus Romanus, (Jové)

NARRAGONIA ET CROCODILOPOLIS, (Viator).

LINGUA LATINA UNIVERSALIS ITERUM DEVENIET?
(Jiménez).

DE INFENITIVO HISTORICO, (Martija).

BIBLIOGRAPHIA, (Martija, González, Fanlo,
Jiménez).

NON SICCABUNTUR, (Marcos), in operculis.

LUDRICA LITTERARIA, (Toribios, Fernández),
in operculis

COMPOSITIONES VERTENDAE, in operculis.

Ordinarii atque Superiorum permissu

Non siccabuntur

(Carmen Hispanum Inagotabile **Gabriel Galán**, vertit in Latinum Ludovicus Marcos, C. M. F.)

*Aegra procumbens anus ad sepulcrum,
Quod premit nati juvenile robur,
Omne per serum Domini moratur
Fixa dolere.*

*Maeret autumnno gelido et silenti
Horridus campus, nitidumque sudum,
Fulva dum caelo moribunda pallent
Lumina Phoebi.*

*Cerei flavi crepitat maligna
Flamma: sic poenis animus dolentis
Uritur matris; neque rore manant
Flumina vultus.*

*Hauserant cunctas lacrimas parentis
Motuo glabrae genito repostae.
Adjacet busto lacrimantis herba
Sale perusta.*

*Turpis in sacro fluitans agello
Angulos circum vacuos oberrat
Halitus mortis, generatus imo
Viscere terrae.*

*Cenchrades templo superant volatu;
Cypseli turrim celeres vetustam
Lene cernuntur striduli ferire
Cuspide pinnae.*

*Tympana ab vici resonant platea;
Crumatum laeti crepitus resultant;
Fistulae auditor modulus loquendo
Tristis amoris.*

*Forte ab adverso volitans eremo
Cirris in muro stetit ut cadentis
Solis hauriret tepida et suprema
Fulmina rostro,*

*Languidos aurae dabit illa cantus;
Nec cient guttur moduli canorum
Saepe quod frangi, redeunte luce,
Senserat ales;*

*Matre Natura melos edocente.
Fleret ut terra juvenem repostum
Saepe qui solis celebravit ortum
Cirris ut illa.*

*Cenchrades templi latuere rimis;
Turba paulatim vaga cypselarum,
Turris antiquae penetrans hiatus,
Stridet in auras.*

*Oppido in parvo siluere cuncta,
Cirris aufugit, subeunt tenebrae.
Seque anus nato penitus relictam
Sensit acerbe.*

*Deseri oportet genitum parentil
Osculum busto dedit et, sublata
Luce, ros cerae geminus per herbam
Excidit udam.*

*Bis adhuc pressis oculis dolore
Profluit ros haud sterilis latensve:
Namque me coram lacrimae et Supremo
Teste stuebant.*

LUDOVICUS MARCOS, C. M. F.

Villae Rosarii in Argentina.

SAGRADA BIBLIA.— Veteri et Novi Testamenti translationem continens, a Clmo. Torres Amat factam, adnotationibus auctam a Pbro. Diaz Monar, 12 fasciculis editam, plus centum imaginibus conlustratam, quae recens vulgata nunc **venit 7 pessetarum pretio**, cum antea fuerit brevique denuo erit 15 Ptarum. Apud **E. Casado.**— *Madrid, Alcalá Zamora, 64.*



PALAESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesselarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España

De recta linguae Latinae pronuntiatione

DE LITTERA C

Diphthongos ae oe, ai oi comparate pronuntiandas esse compluribus evicimus rationibus, neque est quod in re prolixius insistamus, quamquam nondum est exhausta materies. Nunc ad singulas veniamus litteras de quibus non una est apud diversas gentes pronuntiandi praxis. Nihil de *a* nec de *b*, plura tamen sunt dicenda de *c*, cum scilicet litteras ferit *e* et *i* et *y* (et *ae* et *oe* pronuntiatas *e*).

a) *Scriptores Veteres.*—Jam primum quid dicant grammatici veteres pervestigemus. Juvat ante omnes clarissimum adferre Quintilianum, qui litteras explicans fere singulas, haec habet: «*K quidem in nullis verbis utendum puto, nisi quae significat ita ut sola ponatur; hoc eo non omisi quod quidam eam, quotiens a sequatur necessariam credunt, cum sit c littera quae ad omnes vocales vim suam perferat.*⁽¹⁾ Numquid clarius? Iterum alio loco rem confirmat cum adserit haec verba *coronae centuriones praecones* propter vocis sonique similitudinem a multis veteribus aspirari, scribique *choronae, chenturiones, praechones.*⁽²⁾ Age vero, quo modo hodie *centurio* vulgo pronuntiat, nihil certe similitudinis habet cum adspirato *chenturio*.

Praeterea nemo nostrum non audivit semper *pulker* cum adjectivum in nominativo pronuntiari contigit. Attamen Velius Longus adserit *pulcher* scribi saepe *pulcer.*⁽³⁾ Cui favet etiam Terentius Scaurus, grammaticus nobilissimus his verbis: «*Pulcrum, quamvis*

(1) *Inst Orat.* I, 7, 10.—(2) *Ibidem* I, 5 20.—(3) *Keil* VII, 69, 16.

in consuetudine adspiretur nihilominus tamen ratio exiliter et enuntiandum et scribendum esse persuadet». ⁽¹⁾

Rursus negat Velius Longus *k* litteram necessariam esse, quod quidam voluerunt ut ille sonus exprimeretur quem habet *c* littera ante *a*, aliquatenus nempe crassiorem quam ante alias vocales: «Si ideo necessaria videtur — ait —, verendum est ne et alias litteras requiramus, quibus aut *Cicero* scribatur aut *Commodus*». ⁽²⁾ Ego vero rogo: quis est qui adhuc requisierit litteram, aliam ad pronuntiandum *Cicero*, aliam ad pronuntiandum *Commodus*? Nullus apud veteres. Quare? Quia in rebus *magis* et *minus* non mutant speciem. At certe mutatur litterae *c* species cum ex gutturali, eam facimus dentalem. Nunc iterum audiamus Priscianum: «*K* enim et *q* quamvis figura et nomine videantur aliquam habere differentiam, cum *c* tamen eandem tam in sono vocum quam in metro potestatem continent, et *k* quidem penitus supervacanea est.» ⁽³⁾ Quid aliud notat Charisius ⁽⁴⁾ cum ait: «Supervacanea quibusdam videntur *k* et *q*, quod *c* littera harum locum possit implere, ut puta *Carthago*.»

Ad rem Niedermann: Ut videtur initio scribebatur communiter *c* ante *i* et *e* (*civis*, *cena*), *k* ante *a* (*kaput karus*, *q* ante *o* et *u* (*qomes*, *qura*). At pedetentim usus litterae *c* communis devenit; *k* amissum rara vestigia reliquit in aliquibus notis compendiariis: *K*. = *Kaeso* (*nom. proprium*), *K* aut *Kal.* = *calendae*, *Ka* = *capitalis*, *K* = *castrorum* et cetera; et *q* non est servatum nisi in complexu *qu* sonante gutturalem surdam cum labiali in verbis ut *qui quae quod*. ⁽⁵⁾

N ante gutturalem habet sonum litterae quam Graeci vocabant *agma*. Sic Accius more Graecorum complexionem *ng* verborum Latinorum scribere voluit per *gg*: ⁽⁶⁾ inter hujusmodi verba Varro ponit *anceps* et Marius Victorinus *ancilla*. Ergo *c* talium vocabulorum gutturalis pronuntiabatur.

Cum Marius Victorinus sonum definit litterarum ita loquitur: *C* et *g* sono proximae, oris molimine dissentiunt, nam *c* reducta introrsum lingua hinc atque hinc inter molares surgens haerentem intra os sonum vocis excludit: ⁽⁷⁾ «Nullam ut vides, his verbis differentiam statuit in *c* ante *a o u*, et ante *e i*. Quod silentium quidem servant universi veteres grammatici. Numquid tacuerint omnes hac de re cum adeo singulariter de rebus aliis passim pertractent minutissimis?

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(1) Keil, VII, 20, 4. — (2) *Ibidem*, VII, 53, 15. — (3) *Ibidem*, II, 12, 5. — (4) *Ibidem*, I, 8, 16 — (5) *Phonétique Historique du Latin*, 56, 1 — (6) Keil VI, 19, 11. — (7) *Idem*, VI, 33, 20.

Commercium Epistulare

Isaac M.^a Toribios Ramos, O. S. B., R. P. Emmanueli Jové, C. M. F., s. p.

De acceptis tribus exemplaribus numeri 39 aureae tuae PALAESTRAE LATINAE laetatus sum- et jucundissimas habeo tibi grates quod in eo dissertatiunculam meam «De genitivo *alterius* rite acuendo» edideris. Pro mercede in Commentario tuo conscribere pergam, et siquidem opportunius tibi videatur, jam inde quaedam non satis vulgata de grammaticis rebus exponere possim, brevitati tamen quam maxime studendo. Mihi quidem consilium erat de recta seu classica Latinae linguae pronuntiatione sermonem texere; verum cum hac de re apprime te et luculentissime per annum praeteritum disseruisse invenio, etsi materiam non absolveris, ab his tamen me abstinere decrevi, ne in messem tuam meam falcem temere immittere videar, praesertim cum, quoad mihi ex iis quae legere valui, conjectare licet, plane tibi consentio. Unum velim: ut, nisi jam feceris — mihi non adsunt omnes de hac re lucubrationes tuae— minutatim exponas quaedam quae non recte possunt intellegi, ut v. c. ratio emittendi liquidam *u* post *q* et *ng*; non enim desunt qui nimio studio ejusdem semivocalis proferendae, ipsam ab sequenti vocali distinguunt, ac syllabam ipsi tribuunt, pronuntiantes ex. gr. *aéqū-um, distingū-unt, extingū-untur*, quod omnino ab classico abhorret more.

De proposito celebrandi bis millesimum annum ab Horatio nato, edendique hac occasione extraordinarium numerum PALAESTRAE LATINAE, tibi non gratulari non possum, ac libens cupiam etiam me laudatorem esse maximi vatis, quem florente juventa, «nocturna versare manu, versare diurna» studui, quemque Hispanis meis carminibus saepius imitari conatus sum. Tuum tamen esto mihi in hac re partes assignare, et iterum me tibi gratissimum habebis. Etiam atque etiam vale.

Scribebam in Monasterio Silensi, Nonis Decembribus, 1934.

Tibi additissimus in Xto.

Emmanuel Jové, C. M. F. Isaaco Toribios Ramos O. S. B. S. P. D.

Acceptis tuis superioribus litteris ultro respondere propero. De promissa haud aspernanda collaboratione tua in Palaestra omnia probo, mihi que sunt gratissima. Quod refert ad pronuntiationem Latinam postquam de simplici *c* duobus vel tribus articulis egero, tum agam de *qu* (et *ngu*) seu de *c* cum appendice labiali. Qua de re magnam materiei habeo collectam sarcinam.

Gaudeo et laetor etiam te sponte obtulisse ad honestandam in futuro Extraordinario Palaestrae conspicuam Horatii figuram. Consilium iniimus redactores, et placuit te de Horatio disserere *ut poeta satyrico*. Id autem facies non invitus. Tibi perpetuo additissimus. Vale plurimum.

Cervaria III Id. Decembris.

Virginis Matris Puerique Jesu Laudes

CARMEN AMOEBAEUM ⁽¹⁾

Rmo. Domino Rigoberto Domenech

Archiepiscopo Caesaraugustano

JOSEPHUS LLOBERA, S. J.

D. D. D.

Caesaraugustae pridie non. Jan. MCMXXXV

- POETA *Accipe quae puerique canunt hilaresque puellae
Luce sacra Sancti Rigoberti, maxime Praesul,
Cum Puerum Jesum Matremque ad sidera tollunt
Hispanae fidei non mobilis ante Columnam.*
- PUELLAE *Serta decent hominis frontem moritura caduci:
Floribus haud umquam morientibus ornat Hiberus,
Diva, tuam, semperque recenti fronde coronat.*
- PUERI *Frontem homines cingunt auro metuente revelli:
Nativum capitis, Jesu pulcherrime, luce
Concolor est quae auro Hispana, tibi fulgurat aurum.*
- PUELLAE *Qui vidit, Virgo, per eburnea colla capillos
Diffusos sine lege tuos umerisque fluentes,
Regalem vidit trabeam, quam purpura tinxit.*
- PUERI *Qui vidit crines, o formosissime Jesu,
Diffusos hinc inde tuos, is vidit Idumes
Collibus e laetis elatas surgere palmas.*
- PUELLAE *Quale nitent undae radiis solaribus ictae
Illimes Hesebonis, ubi sol se videt ultro,
Tale micant oculi aspicientes, Mater, Iesum.*
- PUERI *Ceu niveo semper perfusae lacte columbae
Prospectant vitreas oculis scrutantibus undas,
Lumina sic retines in Matre et Virgine, Fili.*
- PUELLAE *Cui Matris similesque genas similemque canemus
Cui faciem? Similesque rosis similemque canemus
Puniceo malo cum intus sua grana rubescunt.*
- PUERI *Cui Nati similesque genas similemque canemus
Cui faciem? Similesque nivi similemque canemus
Aureolis vernae quas pingunt floribus Horae.*

(1) Cf. P. Matthiam Casimirum Sarbievium S. J. *Quarta leuca seu Troci.*

- PUELLAE *Dicimus, o Virgo, gratos redolere sapes
Longius ante alios, labris cum mella disertis
Manant ridenti tibi lene et lene loquenti.*
- PUERI *Dicimus, o Jesu, ridentia hiare labellis
Lilia pura tuis, myrrhae cum suaviter halat
Copia ridenti tibi dulce et dulce loquenti.*
- PUELLAE *Quantum tecta micat telis clypeisque decoris
Turris, mille trahens adverso sole colores,
Adverso matris micuerunt colla Puello*
- PUERI *Quantum apes Hyblaeae sapiunt dulcissima mella
Atque Palaestini puri suavesque liquores,
In Matrem spirant reclinis colla Puelli.*
- PUELLAE *Quo tibi manarunt suco digitique manusque,
O Virgo, tenerae? Manarunt flumine suci
Qualis in exustas e myrrha liquitur herbas.*
- PUERI *Quis qualisve tuis hyacinthus, pulcher Iesu,
In palmis ardet teneris? Ardet hyacinthus
Qualis in eximio scaepetro eximiave corona.*
- PUELLAE *Dicite vos, pueri, ex qua, dicite, crate favorum
Copia tanta fluit? quibus uvis copia tanta
Quanta fluit dulci de Matris pectore in omnes?*
- PUERI *Dicite vos nobis jam respondete, puellae:
Halitus aspirat pratis qui tantus odoris
Aspirat quantus divino e pectore Nati?*
- PUELLAE *Circumiens pallam quae non sinit ire fluentem
Zona tibi, Virgo, contextis flavet aristis,
Quam Pudor et niveo munimine lilia stipant.*
- PUERI *Quae scit, Dive Puer, tibi cingere zona solutam
Vestem, secretis sapphyris lucida claris,
Pervigil est tacitoque tuum cor circuit igni.*
- PUELLAE *Cum plantas virgo levi cohibente cothurno
Incedit graditurque per alta palatia caeli
Aeratom celebri credas aciem ire triumpho.*
- PUERI *Ostro crura videns picto religata Tenilli
Sublimique ipsum stantem ore, et stare columnas,
Stare duas, credas solido et consistere in auro.*
- POETA *Haec Matri et Puero pueri et cecinere puellae,
Et Matri et Puero quos monstrat sacra Columna:
Haec cecinere die, venerabilis et bone Pastor,
Quo supera colimus Rigobertum luce potitum.*

CURSUS GYMNASTICUS

TULLIUS TIRONI SUO SALUTEM (*Ad fam.* 16, 2)

(Scr. Alyziae Non. Nov. a 50 ante Chr. natum)

*Non*¹ *queo*² *ad*³ *te nec lubet scribere, quo animo sim adfectus;*⁴ *tantum scribo, et*⁵ *tibi et mihi maximae voluptati fore*⁶ *si te firmum quamprimum videro.*⁷ *Tertio die*⁸ *abs te*⁹ *ad Alyziam*¹⁰ *accesseramus*¹¹ *— is*¹² *locus est citra*¹³ *Leucadem stadia*¹⁴ *CXX—; Leucade aut*¹⁵ *te ipsum*¹⁶ *aut tuas litteras a Marione putabam me accepturum. Quantum me diligis, tantum fac ut valeas,*¹⁷ *vel quantum te a me scis diligere. Non. Nov. Alyzia.*

Adnotationes

1) *Non*: Hujus vocis notationem seu etymologiam hodierni philologi, inscriptionibus edocti et antiquioribus poetis, a *ne oinom* (=oenum=unum) derivant, quasi duplex negatio, uti apud Gallos *ne-pas, ne-point*. Primaeva hujus vocabuli vestigia apud Ennium habentur: «*Noenum* rumores ponebat ante salutem» a Tullio in «*De senectute*» 4, 10 adlatum, et *nenu* apud Lucretium (4, 714): «*Nenu* queunt rapidi contra constare leones.» Ideo habes *n(e) oinom=noenum=noen* ante vocalem et tandem *non*. De hac particula cf. etiam PAL. LAT. n. 24, p. 90.

2) *Queo*: Flectitur ut *eo*; excepto praesente indicativo et subjunctivo raro usurpatur, et tunc fere in prima et tertia persona.

3) *Ad*: Notat directionem, propinquitatem, finem; simplicium verborum significationi illam quoque addit sive perfectionis, auctus, et plenitudinis: *ad-dere* = *dar con aumento-añadir*; sive illam verbi incohativi: *ad-dormire*=*comenzar a dormir*; *ad-vesperascit*; vel etiam quasi medialem verbi graeci formam sufficit: *at-trabo*=*llevar a sí*, cf. *Allicio, assumo, adduco, arripio*; subinde tamen nihil addit *ad-niti*=*niti*=*apoyarse*.

3) *Sim adfectus*: Interrogatio indirecta: «In subjunctivo ponuntur interrogationes indirectae seu obliquae, i. e. eae quae cum altera oratione conectuntur per pronomen vel particulam interrogativam;

ubi a nobis frequenter usurpatur oratio relativa»;⁽¹⁾ quod quidem in hoc loco videre licet: «*Cuán apasionado estoy (Abril), en qué estado de ánimo me hallo*».

5) *Et... et*: Particula *et-et* (tanto-como) duo membra conjungit *tibi-mibi* ut illis majorem vim tribuat.

6) *Fore*: «*Sum* cum duobus dativis jungitur, altero personae nonnumquam omisso, altero rei; et fere redditur a nobis per *causar, ser de* vel *servoir de, redondar en*»⁽²⁾ *Fore* cum participio nequit in *futurum esse* mutari; sic *laudandum fore* non autem *laudandum futurum esse*.

7) *Videro*: Futurum perfectum habet rationem praeteriti ad futurum (*praeteritum in futuro*) et ideo ponit actionem futuram quae eveniet ante aliam etiam futuram: «Cum tu haec leges ego illum fortasse convenero» (*Cic. Ad Att.* 9, 15), et habes exemplum omnino simile huic epistulae: «*Omnia a te mihi data putabo, si te valentem videro*» (*Cic. Ad fam.* 16, 13); alias futurum perfectum pro simplici usurpatur. —Et nota sermonem Latini accuratiore ratione significare relationem quae inter principalem seu primariam et subordinatam orationem intercedit; sic Romanus loquitur: «*Naturam si sequemur duces, nunquam aberrabimus*». (*Cic. De off.* I, 28, 100), nos vero: *si tomáremos, si tomamos*, et Galli *si nous suivons*.

8) *Tertio die*: Ablativum postulat substantivum significans tempus quo res accidit.

(1) **Llobera**, *Grammatica Class Latinitatis*, n. 330 —(2) **Llobera**, *Ibid.* n. 267, II, ubi alia notanda de hoc verbo

9) *Abs te*: A praepositur consonantibus, *b* habetur ut nulla, est enim, juxta veteres grammaticos, nota aspirationis; *ab* praet vocabulis et consonantibus *d*, *j*, *l*, *n*, *r*, *s*, rarius aliis consonantibus, tamen apud Ciceronem, in epistulis praesertim, ut hic, et in primis orationibus invenies *abs te*.

10) *Ad Alyziam*: Ad praecedit nomen civitatis cum terminus motus est non ipsa civitas, sed accessio seu propinquitas ad eam: «Adulescentulus miles ad Capuam profectus sum» (*De senect.* 4, 10); indicat etiam meram directionem sine verbo motus: «Tres viae sunt ad Mutinam» (*Cic. Phil.* 12, 9, 22). *Alyzia*, *Leucas*: Duo Asiae Minoris oppida in Acarnania.

11) *Accesseramus*: Praeteritum plusquamperfectum epistulare pro perfecto.⁽¹⁾

12) *Is*: Maxime in sermone adhibetur, inservitque ad ea quae dicuntur explicanda: «Tuus dolor, humanus *is* quidem...» (*Ad Att.* 12, 10) et in hoc loco epistulae; sensum orationis interruptum restituit; invenitur etiam post subjectum enuntiatum et ante orationis verbum, quasi rursus subjectum in mentem revocans; «Malleoli, plantas, sarmenta, vivradices, propagines, nonne *ea* efficiunt ut quemvis cum admiratione delectent?» (*Cic. De sen.* 15, 52). Ad rem vel personam clarius et vividius designandam quaedam *ei* junguntur particulae: *et is*, *atque is*, *et is quidem*; si negatio adest *nec is*: «Habet (animus) memoriam *et eam* infinitam rerum innumerabilium» (*Tusc.* I, 27, 57).

13) *Citra*: Praepositio accusativi; procedit, uti videtur, a *citera* ut *intra*, *infra*, *supra ab intera*, *infera*, *supera (parte)*; hinc significatio facilius redditur: «más allá de, a la otra parte de».

14) *Stadium Romanum* habet passus 125 i. e. pedes 625, estque octava miliarii pars. Hinc ex magnitudine seu mensura illius loci vocatum est *stadium* locus ubi cursu et pugna athletae decertare solebant.

15) *Aut*: Inservit ad res seu notiones plane diversas separandas ac disjungendas, et ideo alterum membrum excludit: «Cum defensionum laboribus aut omnino aut magna ex parte essem aliquando liberatus» (*Tusc.* 1, 1, 1). *Sive... sive* adhibetur cum anceps est electio inter duas res et verbi vel sententiae dubitationem indicat: «Ita *sive* casu *sive* consilio deorum immortalium» (*Caes. De B. G.* 1, 12). *Vel* similia verba membra disjungit quae seligere parvi refert, et ideo cum iteratur vim habet particulae *et-et*. *Vel pace vel bello clarum fieri licet*. *Sall. Cat.* 3, 1); usurpatur etiam in correctionibus et in superlativo modo.

16) *Te ipsum*: *Ipse* sonat non alium, ac verbum quo jungitur, extollit; cum substantivis numeri et temporis significat *cabalmente*, *exactamente*, *precisamente*: «Triginta dies erant *ipsi*» (*Ad Att.* 3, 12); se complian *precisamente* treinta días; «Tulliola mea praesto fuit natali suo *ipso* die» (*Ad Att.* 3, 21). Nota *ipsum* concordare posse cum subjecto aut complemento prout unum praeter alium extollendum sit: «Tota disputatio est de amicitia, quam legens *te ipse* cognosces» (*De amicit.* 1, 1, 5). — Nota denique omissionem verbi: «Aut *te ipsum (visurum)* aut tuas litteras accepturum». *Omissionem* seu *ellyphsin* amant Latini in primis in sermone cottidiano, in proverbibus, in interrogationibus et transitionibus «Sed et multa alia coram (*tractabimus*)» (Cf. et alios plures casus omissionis apud Menge, *Repetitorium (der lateinischen Syntax und Stilistik)*, 551, 3).

17) *Fac ut valeas*: Nota aliquas Ciceronis valedicendi formulas ex libro 14 epistularum depromptas: «Fac valeas; valete, mea desideria, valete; si nos amatis, curate ut valeatis; curo ut valeas; valedudinem tuam cura diligenter, vale; maxime autem date operam ut valeatis, si nos vultis valere; da operam ut valeas; valedudinem tuam fac ut cures.»

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

(1) Cf. *Palaeas. Lat.* n. 21, p. 45 23; cf. etiam Menge, *Repetitorium der lateinischen Syntax und Stilistik*, 1914, n. 323, Ann. 2.

NOVA ET VETERA

Exercitus Romanus

Cum Caesarem legimus aut Sallustium aut Livium aut alium quemquam ex historicis Romanis, in nomina rei bellicae propria passim offendimus, quibus tamen distinctam significationem pauci sint qui tribuere valeant. Hodie nonnulla selegimus vocabula tum ad personas tum ad res pertinentia, ad nostra relata mores, eisque quantum potuimus adplicavimus.



Centurio

Copiae (1) Romanae temporibus reipublicae in duos *exercitus* (2) dividebatur, quorum natus singulorum *dux* (3) erat uterque consul. Dux cum aliquam provinciam vel urbem clarissimam expugnarat vel in bello decem ceciderat hostium milia, imperatoris honestabatur nomine. Uterque exercitus varias habebat *legiones* (4); legio vero decem *cohortes* (5), quibus totus numerabatur exercitus. Cohors ternos *manipulos* (6) comprehendebat et manipulus binas centurias. In equitatu unitas erat *turma* (7) quae triginta equitibus consta-



Dux cum paladumento

bat. Praefectus alae erat qui toti alae praeerat et decurio qui triginta duos equites seu unam turmam regebat. Cum rebus civicis intentus dux seu consul per se ipse exercitui praeesse non poterat in provincias mittebat *legatum* (8), quem absentem in unaquaque legione *praefectus legionis* (9) sufficiebat. Legiones decem cohortibus componebantur, quibus singulis unus praeerat *tribunus* (10). Cohors autem in ternos manipulos distribuebatur, quos regebant centuriones (11). Centurio primi ordinis dicebatur *primipilus*, alii vero simpliciter centuriones (12). Optio (13)—ait Müller—adjutor dabatur centurioni a tribuno militum, qui nomen ex facto est sortitus ex quo tempore, quem velint, centurionibus concessum est optare. Decurionis nomine veniabat proprie ille qui decem tantum equitibus praeerat, qui autem decem peditibus *decanus* (14) vocabatur. Cornua (15) dicebantur extremae duae adversae aciei et etiam classis partes, quia tota acies saepe ita disponebatur ut media sinuata, curvataque utriusque extrema, in cornua crescentis lunae figuram referebatur. Multitudo complurium navium ad militarem usum ordinarum atque instruarum vocatur *classis* (16). *Classicum* (17) instrumentum quo in bello signa dabantur militibus pugnaturis. *Acies* (18) peculiariter in re militari ponitur pro parte exercitus instructa, quae oculis ordinem a fronte exhibet. *Ala* (19) autem varias numerabat equitum turmas.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(1) Tropas. — (2) Ejército. — (3) Generalísimo. — (4) Regimiento. — (5) Batallón. — (6) Compañía. — (7) Escuadrón. — (8) Comandante general. — (9) Teniente general. — (10) Coronel. (11) Capitán. — (12) Alférez. — (13) Sargento. — (14) Cabo. — (15) Flancos. — (16) Armada. — (17) Clarín. — (18) Frente. — (19) Ala.

Narragonia et Crocodilopolis

ACTUS SECUNDUS (*sequitur*)

BUFO. — Si ita est, non jam indigebo ramo olivae (*scopas abjicit*), in castris cito reversus perones altos induam, ne certamine inuito sanguines influant per tibialia.

CHALCOGRAPHUS. — Tanto discrimine te affectum iri neutiquam spero.

BUFO. — Confidamus! At Varo, Grobianus, Bombus, Almansor, cuncti latratores consilii nostri nitentur ac postulabunt ut Crocodilopolis, Amarantha non reddita, omnibus viribus terra, mari ex aere tormentis et telis oppugnetur.

CHALCOGRAPHUS. — Faciant quod omittere nolunt! Quid nostra interest principes et reges ad tempus terendum alteros sauciare et capitibus plectere? Provideamus modo, ut nosmetipsi ex luctamine evadamus ossibus integri atque illaesi!

BUFO. — Collaudo; sed ignoro qua ratione salutem nostram consulatur.

CHALCOGRAPHUS. — Nihil facilius! cum Narragonii discesserint superiores, me eorum esse simulabo; cum praevaluerint Crocodilopolitani, tu haec ages contra.

BUFO. — Hoc praeclarum consilium dei inspiravit tibi; cedo dextram (*alter alteri data dextra spondent*). Obsequar tibi si opus fuerit. Nunc autem cum militibus nostris communicabo, quales res se habeant. Vale!

CHALCOGRAPHUS. — Vale! (*abit*).

BUFO. — (*se confert eo, quo Baro, Grobianus, alii omnes abierunt, clamans:*) Heus! Convenite, quaeso, reges et milites, ad me et auscultate, quos nuntios ex urbe hostium vobis afferat legatus vester extraordinarius!

II 6, BUFO, BARO, GROBIANUS *cum consilio*.

BUFO. — Collocutus modo cum scriba primario Abdelcaderi nuntiare jubeor fore ut hostes ad extrema descendere malint quam reddere Amarantham.

BARO. — Audistis, principes et milites, quae urbis incolae nobis responderint. Proinde urbem vi et armis aggrediamur! Optimum autem esse censeo et suadeo, ut aliquis nostrum more majorum laudabili unum ex hostibus provocet ad certamen singulare. Unumquemque quidem vestrum coronam lauream et statuam victore dignam desiderare mihi persuadetur. Itaque, ne invidia aut discordia inter vos exoriat, censeo, ut de honore jaciamus talos. Cui contigerit sors, vacabit invidia cum non aura populari aut ullo favore ei pateat via, in qua caput ejus exorne-

tur lauro. Intellexistine me, illustrissimi equites?

EQUITES. — (*vocibus mixtis*) Intelleximus.

BUFO. — (*aversus et morosus*) Aegre.

BARO. — Age, talos afferte! (*allatos talos jaciunt equites*).

BUFO. — Me quidem vobiscum talos ludere nequaquam opus esse censeo, cum non sim miles, sed homo privatus, id est legatus regis extraordinarius.

BARO. — Adversus talem famulum senem ac fidelem qualis tu es, plus reverentiae adhibeo quam ut Fortunam impediam, ne tuo capiti imponat coronam nexam fortasse tibi soli.

BUFO. — Num arbitrari videris in me nihil inesse animi? Profecto, vel Baccho ipsi sum compar inter pocula (*secum loquitur*). (*Voce clara*) Neque vero fieri potest, ut certamen ineam

singulare; tu ipse non ignoras, quam petulantes linguas sint milites. Jam nunc satis superque habeant, cur garriant, quod tam vesani ac stolidi domus et agras, urbem et patriam, conjuges liberosque deseruimus, ut recuperaremus virginem quandam vetulam. Quot salse ac facete dicta in ephemeridibus effutirent, si ego, cum sim homo privatus et legatus regis extraordinarius ab exercitu mitterer ut luctarer cum hoste Crocodilopolitano! Haec res est summae stultitiae.

BARO. — Pudeat te, quod perquam ignavum te praebeas! Te ilico talos jacere jubeo. Barone locuto causa finita.

BUFO. — (*jacit omnes sex; alii capitibus apertis ei gratulantur jactum*) «Jacta alea esto!» «Me ipsum peti suspiror». «Tali sunt adulterini». Numquam omnes sex talos mittere potui; nunc me hoc efficere potuisse credo minime.

BARO. — Noli mihi inferre ignominiam. Virtutem tuam laudibus eximiis paulo ante coram Probiano praedicavi. (1) «Principibus placuisse non ultima laus est», Abi statim et para certamen! Te ita geris, ut te angustis arbitremur.

BUFO. — In animo meo nihil invenitur angoris; sed mihi, cum fungar munere legati extraordinarii, neququam convenit, ut lucter cum hoste. Nisi essem legatus, id mihi minime esset curae. Neque vero quidquam facere potero, quod dignitati meae publicae repugnet, «Mihi hic est munus tantum non sententia». (2) Perseverabo in juribus conditionis meae civilis; famulabor pacis temporibus homo probus; periclitabor corpus et vitam pro disciplina publica; sed tales machinationes, quales exstant inter vos, reiciam et abhorrebo.

GROBIANUS. — Nihil aliud igitur restat nisi ut animadvertatur in eum iudicio

militari, cum precando et persuadendo effecerimus nihil. «Nisi consenseris, utar vi». (3)

BUFO. — Vae mihi misello! Sed iudicium militare antequam dijudicatum erit de me, egomet ipse subibo; hoc unum postulo ac flagito, ne quis, quocum certamen subeam, manu me tangat; nam manus adferri legato extraordinario est contra jus gentium.

GROBIANUS. — Audite, equites! Cum Bufonem, ut curas civiles ex ejus capite dispellamus, crevero centurionem, omnia removebuntur obstacula cunctaque ejus dubitationes.

BUFO. — (*secum loquitur*) Abeat in malam partem, qui te, vaste longurio, hoc docuit. (*capiti Bufonis imponitur galea equestris*) Sed si quem Crocodilopolitanum ad certamen singulare subeundum evocare jubeor, mihi opus erit gladio.

BARO. — Gladius invenietur ilico. (*affert scopas a Bufone in scaena quinta abjectas et tradit legato*). Ecce gladius!

BUFO. — (*accipiens scopas*) Hanc rem gladium existimare mihi opus erit ardore poetarum et enormitate imaginationis Arabum.

BARO. — (*cum gravitate verborum*) Tu, cum sis centurio, tales nugae negliges et despicias.

BUFO. — Ad nutum tuum, rex! (*corpore procero erectus*) Nihil peto nisi ut mihi praebere jubeas urceolum vini adusti, quo conforter pugnaturus.

BARO. — Praebeatitur. (*affertur liquor desideratus*).

BUFO. — (*potat*) O liquorem plenum dulcedinis! (4) — Ah, hoc potu fio animosus. (*reddit urceolum*) — Sic confirmatus procedere possum contra hostem. (*extrahit sinu speculum, inspicit, considerat faciem dicens*.) Facies Bufonis nunc splendidius fulget fulgore et quinquaginta lampadibus electricis.

(1) Horatius Flaccus. — (2) Schillerus, Wallensteinii nex, I, 5 — (3) Goethe. Erikoenig — (4) Goethe. Cantor.

- BARO — *Aspiret tibi, Bofo, Fortuna!*
 GROBIANUS. — *Per aspera ad castra! (proverbium).*
 ALMANSOR — «*Dulce et decorum est pro patria mori*» (1)
 BOMBUS. — (*proverbium*) «*Audentes Fortuna juvat timidosque repellit.*»
 GAMBRINUS. — «*Perfer et obdura! dolor hic tibi proderit olim*» (2)
 BARO. — «*Qui quaerit honores, diligat labores!*» (*proverbium*)
 GROBIANUS. — «*Pro aris et focus*» (3)
 ALMANSOR. — «*Post nubila Phoebus*»
 BOMBUS. — «*Perfer et obdura! multo graviora tulisti*» (4)
 GOMBRINUS. — «*Acti labores jucundi.*» (*proverbium*)
 BARO. — «*Dignum laude virum Musa vetat mori.*» (5)
 GROBIANUS. — «*Tu ne cede malis, sed contra audentior ito*» (6)
 ALMANSOR. — «*Malum vas non frangitur*» (*proverbium*)
 BOMBUS. — «*Fortibus est Fortuna viris data*» (*Ennius*)
 GOMBRINUS. — *Πρὸς τὰ συμβάντα ρίεται τὰ τράγματα.* (*proverbium*)
 BARO. — «*Nihil sine magno vita labore dedit mortalibus...*» (7)
 GROBIANUS. — «*Invia virtuti nulla est via...*» (8)
 ALMANSOR. — «*Fortes Fortuna juvat*» (9)
 BOMBUS. — «*In tuo pectore sunt tuae sortis stellae*» (10)
 GOMBRINUS. — *Τῆς ἀρετῆς ἰδρώτα θεοὶ παροίθεν ἔθηκαν.* (*Hesiodos*)
 BARO. — «*Dimidium facti, qui coepit, habet*» (11)
 GROBIANUS. — «*Vita non est summa omnium fortunarum*» (12)
 ALMANSOR. — «*Nihil mortalibus arduum est*» (13)
 BOMBUS. — «*Labor omnia vincit Improbus.*» (14)
 GAMBRINUS. — «*Qui nimis multa meditat, efficiet pauca*» (15)
 BARO. — «*Dii fortitoribus adsunt.*» (*Tacitus*)
 GROBIANUS. — «*Sui cuique mores fingunt fortunam*» (16)
 ALMANSOR. — *Παλαίσμαθ' ἡμῶν ὁ βίος.*
 BOMBUS. — *Πόνος εὐκλείας πατήρ.*
 OMNES. — (*principes cum militibus*)
 Macte, Bufo, servator Patriae!
 BUFO. — *Ave, Baro rex! moriturus te saluto.*
 BARO. — *Noli dubitare, quin tibi, cum redieris victor, contingat laurus. (abit cum omnibus; Bufo remanet solus)*
 BUFO. — (*sibi loquitur*) *Laurum videre nihil mea interest nisi conspectum in carne suilla assa.*

II 7, BUFO solus

BUFO. — «*Quos ego*»... (17). «*Terrori terribilissimo est homo furiosus.*» (18) In malam crucem abeat, qui excogitaverit bellum! — *Sauciare et perimere hominem mihi plane ignotum culmen esse videtur stultitiae. Attamen inveniā, unde eos fallam et illudam. Inquirendus tantum est mihi Chalcographus amicissimus; alter cum altero certamen brevi conficiet. (adit ad urbis portam). Hannibal ante portam (pulsat). Audite, cives! Res*

quaedam maximae gravitatis agenda mihi erit cum Chalcographo famulo Abdalcaderi filii Califae. Emitte eum, amabo vos, ad me quam primum! Opto, ut Chalcographus, Abdalcaderi palatium sit extra urbem, arcessatur telephonice, ne nimis diu eum expectem oporteat. Hora sexta et dimidia ex culina castrensi cenam petimus; hodie militibus praebebitur cicer cum lardis, quo cibo, cum maxime eo delecter, minime velim carere.

VIATOR, S. V. D. ✓

(1) Hor. Flaccus, Od., III, 2, 13 — (2) Ovidius Naso, Am. 3, II, 7. — (3) Cicero de natura Deorum, III, 40. — (4) Ovidius Naso, Trist., 5, II, 7. — (5) Hor., Od. IV, 8, 28. — (6) Vergilius, Aen., VI, 95. — (7) Hor., Sat., I, 959, 60. — (8) Ovidius, Metam. XIV, 113. — (9) Terentius, Phormio, I, 4. — (10) Schillerus, Piccolomini, II, 6. — (11) Hor., Epist., I, 2, 40 — (12) Schillerus, Sponsa Messinae, IV, 7. — (13) Hor., Od., I, 3, 37. — (14) Vergilius Georg., I, 145. — (15) Schillerus Gul. Tell. III, 1. — (16) Nepos., Att. II, 6. — (17) Vergilius, Aen. I, 135. — (18) Schillerus, Cantus Campanae.

Lingua Latina universalis iterum deveniet?

Diarium pontificium *L'Osservatore Romano* ⁽¹⁾ quaestionem recens agitavit utrum oporteat necne Latinam linguam ab omnibus usurpari in mutuo inter populos commercio tum in generalibus conventibus, tum in disciplinis exponendis -si de celebrioribus agatur universitatibus- tum in libris scientificis edendis. Res utique non hodierna sed pluries jam antea disputata. Tamen nec rationes nec facta desiderantur quae pro adsensu militent, quidquid aliorum idiomatum fautores dixerint.

Alias, data opportunitate, facta nonnulla recensuimus linguam Latinam universalem propugnantis; nunc autem rem amplius enucleare cupiens, rationes potissimas adduco, conatusque expono qui ad usum linguae Latinae iterum suscitandum sunt feliciter adgressi.

* * *

Cujuspiam linguae communis seu *internationalis* adhibendi congruentiam nemo non videt; cum aliquot quasi vinculum commercii populorum opus sit instituere. Jam vero, linguae vernaculae—eae nempe quae hominum usu gaudent—non nisi unius gentis studiis inservire queunt; nec earum quaevis imponi oportet omnibus, ne illa superbiret cujus electus esset sermo, illae vero quarum sermo esset posthabitus parvi habere viderentur communem loquelam. Neque ad idiomatica quae *Volapük* aut *Esperanto* vocantur recurrendum, quia ut probat Valdarninius ⁽²⁾ *quaelibet lingua artificio, non natura satagente condita ad omnia pertinere non potest*. Restat igitur ut ad linguam Latinam redeamus quae communis est omnium aliarum praecipuarum mater.

Sed revera congruit in sermonem Latinum redire? Nam sunt qui Brocensem eruditissimum magistrum, Erasmum, Budaicum, Riccium impugnantes faciunt. Quidem faciunt, at eorundem sententias detorquentes aut inepte interpretantes. Quod si Brocensis noster *nihil, ait, pestilentius posse juveni linguae Latinae cupido evenire, quam ut verbis Latinis effutire cogitata aut loquentium profluentiae interesse* hoc tantum adserit, quia *ii linguam Latinam in plateis, aut etiam in gymnasiis miris modis conantur dilacerare* ⁽³⁾ Ceterum Sanctius Brocensis non solum ulilem sed aliquando et necessariam linguam Latinam reputat propter varia inter gentes commercia, ut patet ex object. VI in *Minerva* proposita cum agit de Latina Lingua comparanda. Hoc enim cum doctissimis viris Sanctius tenet: *nulla aut arte aut tempore lingua Latina, nisi praemeditate esse loquendum*.

Neque rationes antiquitatis et penuriae quidquam agunt contra usum linguae Latinae, dum ex Graeco fonte verba fas sit excudere nova et vi analogiae veterum verborum sensum in novas species mutuare. Et revera saeculorum tractu *tum in civili vita et in usu rerum gerendarum privato, tum in umbratili speculationis ac doctrinae, lingua Latina semper maximam, semper sibi parem se gessit, omnia explens, omnibus aequa* ⁽⁴⁾ ut argumenta in nostro aliisque commentariis latine exarata omnino devincunt.

(1) 4 Ott. 1934. Il latino lingua internazionale.—(2) Alma Roma 1933 p. 58.—(3) Franc. Sanctii *Minerva* Amsterelami 1961: Latina lingua comparanda non colloquitis sed stilo. cfr. Lectori salutem.—(4) Valdarnini, cfr. Alma Roma I. c.

Qui vero harum rationum vim non percipiant, facta considerent quae nostram causam tuentur. Sunt Societates quae sermonem Latinum instaurare curant: clariores tantum proponam. Societatem nempe Polacam Varsaviae a Dr. Th. Zielinski moderatam ⁽⁵⁾, Societatem Latinam apud Germanos de qua *Alma Roma* ⁽⁶⁾, Commissionem specialem ad usum et studium linguae Latinae promovendum Romae constitutam ut partem Instituti Studiorum Romanorum ⁽⁷⁾. Prae aliis haec posterior enixa est proposita in praxim redigere. Lectores norunt vota Congressu Romano sancita ⁽⁸⁾ quae ad rem utique faciunt: nunc tantum declarare volumus labores ab hac Commissione recentissime susceptos. Commissio enim, ut fas esset in omni genere scientiarum omnia Latino verbo exprimere, statuit lexicum Latinum universale hodiernis temporibus aptatum conficere. Jam vero ut citius et adcuratius res tantis difficultatibus gravis persolveretur, singularia prius vocabularia uniuscujusque scientiae propria sapientissimis in unaquaque disciplina viris conficiendum commisit. Hi, concursu Universitatum et Societatum scientificarum, opus suum perficient. Quindecim simul parantur dictionaria de re videl. mathematica, astronomica, oeconomica, physica, geologica, biologica, medica et ita porro: nonnulla italice ordinata Commissioni Latinae modo sunt tradita ut illa in Latinum transferat sermonem. ⁽⁹⁾ His laboribus uberrimi sane fructus respondebunt, quod est in votis.

Ad rem quoque nostram faciunt ephemerides seu commentaria quae aut latine omnino eduntur aut latine ea compendiose tradunt quae in aliis linguis fusius proposita fuerant. Ad primam classem ut tantum ea commemorem quae cultum Latini sermonis maxime curant-pertinent *Alma Roma*, *Palaestra Latina*, *Auxilium Latinum* ⁽¹⁰⁾; alterius vero classis: *Le Forze Sanitarie* et *L'Università di Roma* ⁽¹¹⁾.

At non tantum clerici, sed medici quoque linguae Latinae debitum tribuunt honorem. Patet ex laudato commentario *Le Forze Sanitarie*, patet ex consilio universaliter rato in coetu generali medicorum ⁽¹²⁾, patet ex laboribus lexicographicis Dni. G. Nicolau qui Societatis medicae UMFIA placita adimplens opus redegit cui titulus «*Projet d'unification de la terminologie médicale par le latin*». ⁽¹³⁾

Utriusque juris antecessores seu professores eandem demonstrarunt voluntatem in recentissimo Conventu m. Nov. Romae celebrato. At quid voluntatem dico? Praxim rectius dixerim, cum lingua Latina ut Congressus propria lingua sit constituta. Nec inmerito et Juristae et medici sermonem Latinum restitutum cupiunt: usitatum enim inter eos reperimus sub finem saeculi XVIII; quod constat praeter cetera ex hujus almae Cervariensis Academiae consuetudine. Nam viri clarissimi qui in nostra Universitate floruerunt nequaquam linguam Latinam dedignabantur, immo usu et doctrina eam honestarunt: itaque medio saeculo XVIII potius quam de recuperanda, de retinenda eloquentia et lingua Latina disputabant ⁽¹⁴⁾, iidemque omne cognitionis genus Latino sermone et quidem elegantissimo tradiderunt.

Quae cum ita sint semitas patrum seu decessorum persequemur, atque pro aris et focus propugnabimus linguae Latinae usum et doctrinam.—J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

(5) Pal. Lat. II, p. 121.—(6) *Alma Roma* 1933 p. 1.—(7) Pal. Lat. III, p. 63.—(8) Pal. Lat. IV, p. 13.—(9) Iberica n. 1043, p. 213.—(10) Pal. Lat. IV, p. 29. Ex Boll. Guillaume Budé, janvier 1931, p. 35 notitiam habemus, nondum confirmatam, alterum exortum esse apud Polonos commentarium Latinum nomine «Palaestra.»—(11) *Alma Roma* 1934, p. 1.—(12) Rev. españ. de medicina y cirugía, febrero 1934, p. 66.—(13) Rev. des Étud. Lat. 1933, p. 23.—(14) Ludi Rhetorici et Poëticae, Cervariae, 1756, p. 5.

DE INFINITIVO HISTORICO

Jam inde ab antiquissimis temporibus, ait Wagnerius⁽¹⁾, cum verbum nondum erat per tempora digestum, homines solo utebantur infinitivo; quae ratio loquendi, ut est balbutientis infantiae, ita hodie invenitur apud populos quosdam rudes et barbaros, retenta interdum a cultioribus populis. Hinc apud Latinos ortus est infinitivus historicus, loco indicativi usurpatus, qui magnopere placet Terentio et Vergilio, Ciceroni (in epistulis et orationibus), et praecipue historicorum scriptoribus, Caesari, Tito Livio, Sallustio, Tacito. Apud Hispanos infinitivum historicum adhibet Hurtado de Mendoza, Sallustium imitatus; at hic loquendi modus in litteris Hispanicis nullo unquam in honore fuit. Quibus in adjunctis usurpetur apud Latinos videamus.

I) *In simplice narratione.* a) subauditis determinantibus *coepi, dicere* et similibus: «Postquam inde discessum est, cogitare iste (sc. coepit) nihil aliud nisi quemadmodum regem spoliatum dimitteret.—Tunc Catilina *polliceri* proscriptionem locupletium.—Hinc iudices *ridere, stomachari* atque acerbe *ferre* patronus causam sibi eripi».—b) Sunt loca in quibus verbum determinans commode intelligi nequit, et tunc absolute pro indicativo sumitur, quin etiam cum indicativo in eadem periodo occurrit: «Vittellius vero non *parare* arma, non adloquio exercitoque militem *firmare*.—Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta locum *capere* paulo editio-rem.—Interea plebs Catilinae consilia *exsecrari*, Ciceronem vero in caelum *tol-lere*, veluti servitute erepta, gaudium et laetitiam agitabat.—Paulus etiam atque etiam *dicere* providendum praecavendumque esse».

II) *Infinitivo absoluto* vehementior quidam animi motus proditur, maxime metus et trepidatio: «Nos pavidi *trepidare* metu, crinemque flagrantem Excute-

re et sanctis restinguere fontibus ignes.—Tum pius Aeneas umeris *abscindere* vestem, Auxilioque *vocare* deos et *tendere* palmas.—Quae cum Athenis nuntiata essent, omnes relictis domibus per urbem *discurrere* pavidi, alius alius *sciscitari*, auctorem nuntii *requirere*.—*Fremere* miles, ac vires suas *circumspicere*.—Hinc Ligurii *furere*.»

III) *Indicatur etiam quaedam sedulitas, studium, celeritas rei quae agitur:* «Interea Catilina cum expeditis in prima acie *versari*, laborantibus *succurrere*, hostem saepe *ferire*.—Instant ardentis Tyrii, pars *ducere* muros, *Molirique* arcem, et manibus *subvolvere* saxa.—At Romani domi militiaeque intenti *festinare, parere*, alius alium *hortari*, hostibus obviam *ire*.—Interim omnibus certantibus repente a tergo signa *canere*; ac primo mulieres et pueri *fugere*, Romani eo acrius *instare, fundere*, ac plerosque tantummodo *sauciare*, dehinc super occisorum corpora *vadere, murum petere*.»

Notetur: I.^o) Reperiuntur et alia exempla apud classicos in quibus infinitivus historicus, rarius tamen, usurpatur.⁽²⁾—2.^o) Hujus infinitivi subjectum ponitur semper in nominativo quod in exemplis supra allatis videri licet. Si quando in accusativo invenitur, non proprie est infinitivus historicus, sed ad verbum aliquod principale referendus est, ut in notissimis Vergilii versibus: «Interea magno *misceri* murmure *pontum* Emisamque hiemem sensit Neptunus», ubi *pontum misceri*, pendet a verbo *sensit*.—3.^o) Neque cum infinitivo absoluto confundendus infinitivus admirationis et interrogationis, cujus subjectum accusativum postulat: O spectaculum miserum atque acerbum, ludibrio *esse* urbis *gloriam!*—Pro dii immortales! *Essene* *quendam* tanta audacia praeditum?—Mene Iliacis occumbere campis *Non potuisse!*» cet.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

(1) Quaeft. Verg. XXX.—(2) Vid. apud A. C. Juret, *La Syntaxe Lat.* c. II, p. 74.

Bibliographia

E. Benoist et H. Goelzer. *Nouveau Dictionnaire Latin-Français*. Nouvelle édition refondue (1 vol. 1682 pag.)—Librairie Garnier, Paris.

Novum Lexicon quod nunc lectoribus offerimus, jam ab anno 1892 maxima gaudet auctoritate apud Latinitatis praeceptores, ut undecies fuerit editum. Auctores, in Facultate Litterarum Parisiensi Professores, opus magnum conati sunt et perfecerunt, ad manum habentes optima opera lexicographiae Latinae, praesertim opus K. E. Georges (*Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch*, Leipzig), et commentarium Prof. Welfflin, (*Archiv für lateinische Lexicographie und Grammatik*, Leipzig), nec praetermissis Forcellini, Klotz, Freund. Omnia vocabula continet, ex originibus linguae Latinae ad tempora Caroli Magni usurpata, cum omnibus verborum acceptionibus et significationibus etiam recentioris aetatis. Magnum, ut aequum est, momentum tribuunt auctores, partibus grammaticis, constructionibus et regimini verborum, quorum prosodica notatur quantitas, ut alumnis facilius evadat hujusmodi studium.

Praestantissimum locum occupat lingua Latina christiana seu ecclesiastica, de qua fere nihil in aliis dictionariis. Formae difficiliore conjugationis et Kalendarium Romanum tabulis prolegomenorum assignantur.

Dignissimum sane opus, quod omnibus Latinitatis praeceptoribus et alumnis maximo emolumento fore putamus.

Juvenal et Perse. *Oeuvres*. Traduction nouvelle de Henri Clouard. Classiques Garnier, Paris.

Quoniam lectores nostri eximiam collectionem classicorum Garnier apprime norunt, necesse non est ut multum in hisce recensionibus inmoremur. Uno eodemque volumine continentur satyrae

Juvenalis et Persii. Textus utriusque poetae, non obstantibus clarissimorum virorum peractis laboribus, nondum est definitiva stabilitus. Interpres suam facit editionem criticam Juvenalis a Pedro de Labriolle et Francisco Villeneuve (1921), mutatis tamen aliquibus lectionibus. In editione Persii sequitur M. A. Cartault (1929). Notitia poetarum et adnotationes, summaria tamen ratione, comitantur.

Aulu-Gelle. *Les Nuits Attiques* (Vol. I livres I-V Vol. II, l. VI-XIII.) Traduction nouvelle de Maurice Mignon. Classiques Garnier, Paris.

Noctes Atticae, hibernis noctibus lucubrari coeptae, dum Gellius Athenis studiorum causa versaretur, continuatae vero etiam postquam Romam rediit, opus est selecta eruditione antiquitatis, tum gramatica, tum historica refertum; in quo legendo et delectationis et utilitatis uberrimi fructus percipi possunt. Vingt libris complectebatur, quorum octavus intercidit, nec aliud de eo superest nisi argumenta, vigesimi vero finis desideratur et praefationis initium. Haec volumina tredecim primos libros continent. Interpres editionem sequitur Hosii (Ap. Teubner), cujus praefationem fere exscribit. Varias lectiones codicum inter adnotationes ponuntur; malim ut ad calcem latini textus adicerentur.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

Cardó Carles. *El diàlec interior*.—F. Camps Calmet; Tarrega (Lleida), 1934.

Stilo terso et eleganti in hunc librum infudit Dr. Carolus Cardó seriem cogitationum pulcherrime excerptarum ex opere «*La pierre de toutes les heures*» a Pierre Charles scripto et ex «*Epistolis Pastoralibus*» Dris. Torras et Bages. Cujus libelli paginae in tres partes dividuntur, excluso prologo. In prima parte quaestiones religiosae pertractantur (11-70), in altera quaestiones morales (75-139), in

tertia autem quaestiones sociales (143-217). Novem et septuaginta articulis constat opusculum formosa typorum exhibitione atque industria. Tum ea quae in libello continentur, varia atque selecta, tum dicendi ratio alliciens et indeficiens fortunato ejusdem libelli lectori maxime proderunt.

Tribut al Venerable Apeles Mestres (1854-1934). F. Camps Calmet, Tàrraga, 1934; XL-126.

In hoc fasciculo tam Apellis Mestres poetae, pictoris, musici resplendet gloria quam F. Camps Calmet impressoris industria ac sollertia. Utriusque ergo ibit fama per dissitas urbes.

Examens Particuliers a l'usage des Prêtres vivant en Communauté.

Desclée de Brouwer et Cie. Rue des Saints-Pères, 76 bis. Paris (VII).

Haec Particularia Examina opus et labor sunt cujusdam collectivitatis, nempe unionis presbiterorum Galliae in Communitatibus vitam paroecialibus degentium. Il quidem presbiteri, duce Hierarcha, annum per congressum in Sacro Corde de Montmartre se congregant, qui de propriis in vita sacerdotali negotiis, cum scientifice, tum amice agant. Eorum autem Particularia Examina, quasi viventis effectum experientiae aestima; ipsorum enim ope sese in spiritu instaurare contendunt. Quod tibi opus, lector, offero hodiernae admodum aptatur gentium psychologiae; quippe quod de difficultatibus et praepudiciis currentis temporis commode agat.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

Bayón E. Un Humanista Catalán. Barcelona 1934, p. 32.

Dr. Bayón aditalem habuit hujus cursus orationem in Seminario Barcinonensi in qua virtutes et gloriae Hyacinti Diaz Siscar scriptoris fecundi ac nobilis. Auctori et amico gratias rependimus.

Planque, Aneme, Lermينياux, Ghilain, Detelle: Grammaire Grecque, Wesmael-Charlier. Namur 1933, pp. 238.

Hanc Graecae linguae grammaticam omnibus commendatam volumus, quip-

pe quae concinnitate gaudet, claritate, integritate. Auctores enim amicitia conjuncti simul ac doctrinae ministerio, in hoc opere conficiendo mira coadunatione laborarunt. In parte morphologica aequa aestimatione leges phoneticas proponunt; partem vero syntacticam neutiquam farciunt regularum sarcina: potius enim quam grammaticae, classicorum lectioni nonnulla tradere maluerunt. In hac re sicut in aliis opus dignum laude reputamus. J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

F. Zambaldi, Elementi di Prosodia e di Metrica Latina ed Giovanni Chiantore 1932. Torino.

Libellus hic, adcurate typis expressus, totam capit regularum congeriem qua regitur ars metrica Latina. Brevi ac perspicua praemissa notione de poesis quantitativae, quam vocant, natura, cunctas prosodiae leges concisis complectitur regulis; tandem uberrimam ponit Latinorum metrorum elenchum et stropharum suo cujusque stipatam exemplo hinc inde classicorum decerpto. His accedit litterarum index qui libellum 72 paginarum utiliore reddit.

Blasio Verghetti, «Johannis Ludovici Vives Colloquia». Nova editio et emendatio Marietti, 1934, Taurini.

Si Colloquia haec lectoribus commendanda dixero simplex ac deridendus omnino videar cum illa sint apud Latinitatis amatores in communi atque vulgari vitae consuetudine maxime trita. Nemo est qui ignoret venustum illum libellum, labentibus saeculis omnium plausibus celebratum, a nostro clarissimo Ludovico Vives fuisse exaratum ut profecto esset magno illi Principi qui postea fuit Philippus Hispaniarum Rex Secundus. Neque silentio praeterire possumus hanc novam Marietti editionem et emendatiorem apprime perpolitam atque castigate elaboratam exstare qua meliorem nullam hucusque noverimus. Aliquibus notulis passim ad calcem pagellarum positis atque indicii vocum, italica significatione, locupletatur.

L. FANLO, C. M. F.

LUDRICA LITTERARIA
(MARIAE VIRGINIS ODE IN RECENS NATUM FILIUM.)
(ACROSTICHUM)

ANTISTROPHE· *LUX Deus alma,
Unice Patris!
Cordis amanter
Intima pando.*

S T R O P H A E :

- | | | |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>1. <i>Astra gubernas
Numen in axe;
O! quid in ima
Advenis arva,
Belle Puer mi?...</i></p> | <p>3. <i>Sol es, amate;
Atra quid orbem
Ambiet umbra?...
Caede tenebras
Ejice noctem.</i></p> | <p>5. <i>Nate tenelle,
Uror amore;
Suscipe, Fili,
Munera matris,
Oscula casta.</i></p> |
| <p>2. <i>Bos et asellus,
Arida et herba
Te fovet, Infans;
Infima cuncta,
Ipse tamen Rex!</i></p> | <p>4. <i>Terra silescit
Rapta sopore,
Omnia pausant;
Mite Matri exstat
Advigilare.</i></p> | <p>6. <i>Non queo dona
Aurea ferre;
Cor Tibi sacro;
Haec tua regna,
Impera, amor mi.</i></p> |

ISAAC TORIBIOS, O. S. B.

IN HONOREM BEATI CLARET

*Aureus exurgens vasto de gurgite Phoebus
Felicem mundo nuntiat esse diem.
Tum coepit juvenis parvas aperire fenestras
Et radius solis frontem oculosque ferit.
In medio fulgentem conspicit aethere vultum
Lumen qui tribuit gentibus, atque docet.
Arcus versicolor sublimi in vertice sistit,
Orbem terrarum sub pedibusque premit.
Magnis ambitus validisque cohortibus adstat
Nobile praecingunt regia scaeptra caput.....
Tum subito avertens puerum circumspicit atque
Per tenues auras murmuris ista sonant:
«Sum ipse ego Claret; venio mea promere signa
«Atque humanos ad astra levare pedes
«Me celebrat nunc fama superstes laude per orbem
«Alque meum saepit pulcra corona caput.
«Tempora tu quoque jam sertis redimito videbis
«Si ad superas sedes semper adire queas»
Quo gressum dicto sublimia tendit ad astra,
Nubibus abductus conditur atque latet.
Talia deinde refert puero angelus ore coruscans;
Currite post Claret nec renuat is ei.
Ipse sit exemplum vobis et regula vitae
Vosque eadem fulgens danda corona manet.*

PETRUS FERNÁNDEZ, C. M. F.

Compositiones vertendae

El mono ambicioso

(cuento chino) (a)

Murió un mono. Cuando estuvo en presencia del rey de los infiernos Yen-Wang (*us-i*), le pidió suplicante que le dejase renacer (como) hombre. Yen-Wang le dijo: Los hombres no tienen pelos en (su) cuerpo. Si quieres, pues, convertirte en hombre (1) es preciso ante todo que los pelos que cubren tu cuerpo sean todos arrancados. — Conformes! — (2) dijo el mono.

Entonces Yen-Wang llamó a algunos diablos para que le arrancasen los pelos. Mas apenas le habían arrancado uno, ya el mono encontraba el dolor insoporta-

ble. Yen-Wang le dijo riéndose: Si no puedes dejarte arrancar ni un pelo, cómo podrías tú hacer el hombre?

Moraleja: El hombre es tanto más hombre cuanto con más gusto deja (su) dinero, figurado (5) (por) los pelos del mono. Es de hombres que no aspiran (6) a ser respetados el creer que sólo las sapecas (7) son cosa útil, sin poderse resolver (8) a gastar una sola.

Notulae

(1) *Devenire homo.* (2) *Convenit!*. (3) *Non ferendus.* (4) *Morale.* (5) *Significatum.* (6) *Affecto-as-are.* (7) *Sapeca-ae* (8) *Non sustinere.*

Merula et Hirundo

Sic merula (1) quondam hirundinem coarguit:
 Quotannis nidum celsa pono in arbore.
 Contextum paleis, herbis et equi crinibus,
 Sat commode et decore. Sum concentibus (2)
 Grata viatori, urbis villarumque incolis.
 Sed tu luto nidificas, atris in locis:
 Incondito (3) atque indocili complere strepitu
 Cuncta potes solum, effrenate circumvolans.
 O quantum insanis, tunc respondet altera;
 Vere novo (4) reditum omnes praestolantur (5) meum:
 Laetitiam adduco: veterem nidum repetere
 Libens consuevi, notos visens hospites.
 Nullos pessumdo (6) fructus, quod tibi moris est,
 Sed prosum segeti, bestiolas malas vorans.
Omne genus volucrum consilium prudens Dei
Esse dedit gratum semper et utilissimum.

ROCCI, S. J.

Notulae

(1) *Mirlo.* — (2) *Con mis cantares.* — (3) *Sin harmonia.* — (4) *Al apuntar la primavera.* — (5) *Esperar, aguardar.* (6) *No hago caer, no hago daño a los frutos.*

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.

Moderator

Thygraphia F. Campa Calmet. — Tarrega

(a) Hanc et alias paratas habemus Sinenses fabulas pueris in Latinum vetendas quos Rdo. Patri Laurentio Gandol debemus, Missionario qui apud Sinas Evangelium Christi profitetur. Ex his columnis et plurimas habemus et referimus grates.